

• S • G • B • T • B •



• 1681 •

28. Ah


Min A

T. q. 259.

A.h







DISPUTATIO QUARTA  
In Augustanam Confessionem  
continens

ΑΝΤΙΘΕΣΙΝ ARTICULI II.

*De*  
**PECCATO**  
**ORIGINIS,**

*Proposita*

In almâ VVittebergenſum Academiâ,

P R A E S I D E

**JACOBO MARTINI, SS. Th.**

Doctore & Professore Publ.

*R E S P O N D E N T E*

**M. CHRISTOPHORO BULÆO**  
Kötzchenbrodâ-Misnico.

*Habebitur in Auditorio Collegii veteris  
ad diem 31. Augus*ti*.*

*WITTEBERGÆ*

Typis Hæredum **SALOMONIS AVERBACH,**  
ANNO M DC XXVIII.

ALLEGORICAL ODE  
IN AUGUSTAN CONVENTIONE

BY  
BEGGAG  
ORIONIS

ACCORDING TO THE STYL

W. CHARLES LINDORF BURLAO

1800

PRINTED FOR THE AUTHOR  
BY J. C. H. WILHELM



# Duce Christo.

## Continuatio.

**R**iorem partem Articuli secundi Augustanae Confessionis de peccato originis, quā nostrarum Ecclesiarum doctrina proponitur, disputatione tertia vidimus: sequitur posterior, cùm deo continens, hereticos qđ à quibus presentis Articuli veritas corruptitur, damnans. Illorum autem due constituantur classes: prior Pelagianorum: altera Aliorum, ut Confessio loquitur. De singulis ordine agemus.

### THESES I.

**P**elagiani à Pelagio nomen sortiti sunt, qui, ad differentiam Pelagii Samosatensis, pii & orthodoxi sub Valente Imp. Doctoris, Briton cognominatus, Romæ Monachum initio professus, & ad Presbyteri quoque dignitatem elevatus, cum in Syria peregrinatus fuisset, & Novatianorum atque Melitianorum venenum hauiisset; ipse quoque prava dogmata, ut auctoritatem sibi pareret, circa annum Christi 414. juxta Marianum, vel 415. juxta Secundum Prosperrum sub Impp. Honorio & Theodosio juniori, in Oriente, Italiam, Galliam & Angliam spargere coepit; quemadmodum Cœlestinus, ejus discipulus, in Africā: unde iidem Hæretici Cœlestini quoque dicti fuerunt.

II. Caput Pelagianæ hæreseos, quoad peccatum Originis hoc fuit: Originalem labem non peccatum, sed tantum somitem esse; nec posteritati, sed primis duntaxat parentibus nocuisse, neq; aliter peccatum, quām iuris sive imitatione propagari, proindeque parvulos à parentibus neque trahere, neque habere peccatum originis; cum id sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non possit; utquæ rursus peccatum originis

A 2 plane

planè negare posset, libidinem & concupiscentiam, quæ natu-  
râ hominibus inest, bonam esse docuit.

III. Hæc hæresis, quanquam à Patribus, utpote Ambroſi o-  
de vocat. gent. Hieronymo contra Pelag. Augustino l. 2. ad Hilar. de  
bono Persverantia Tom. 7. Item de verbis Apostoli, Ser. 31. Tom. 10. &c.  
acriter impugnata; quatuorquè diversis Synodis, Palestinâ,  
Carthaginensi, Milevitana, Aruiscana apertè damnata fuit; ser-  
puit tamen latissimè & longissimè duravit, ut ad nostra etiam  
tempora impuritatis suæ feces transmiserit. *Hæc de Pelagia-*  
*nismo.*

IV. Sequitur altera classis hæreticorum, huic articulo se  
opponentium, quam secundana Confessionis editio, nempe  
Spuria illa, elicit, sicquè orationem connexuit, quasi sola Pe-  
lagianorum hæresis reiecta sit; cum interim præter illam aliæ  
etiam expressè sint damnatae: & Apologia nominatim Schola-  
sticorum iterum atque iterum expresserit, quorum doctrina cum  
Articulo hoc ē diametro pugnet. Quibus sanè non poterit  
non injuria videri facta, & hanc culpam ipsa agnoscere Con-  
fessio, si mutationem istam approbet: Ut etiam illud dudum  
nonnulli ex Pontificiis observârunt, ac publicis scriptis notâ-  
runt, Philippum, Confessionis Architectum, in hoc articulo si-  
bi non constare, sed quarum rerum Pontificios anno XXX.  
insimilârit, eas anno XL. retractâsse; *Andr. Fabr. Harm. f. 17.*  
*Heffelius de Communione f. 215.*

V. Verùm Nos Pontificiis nequaquam concedimus, Phi-  
lippum Melanchthonem Augustanæ Confessionis primum  
auctorem fuisse. Quandoquidem cum Bononiâ ad Ordines  
Imperii ab Imper. Carolo dimissis literis Augustæ Comitia es-  
sent indicta, rescripsit Imperator, se dissidentium in Religio-  
ne partium sententias clementer auditurum. Hinc Princi-  
pes, Civitates, & Respubl. atque Ordines alii, Lutheri do-  
ctrinam amplexi, singuli suos Theologos ad Apologiam pa-  
ratos esse, & summam doctrinæ in suis Ecclesiis propositæ,  
scriptis complecti jusserunt. In primis diligenter id ab Elect.  
Saxon. Joanne factum est; qui Torgavia datis ad Theologos  
Wittebergenses literis, serio mandat, ut omnibus aliis  
nego-

negotiis sepositis, de certa quidam Confessionis formâ delibera-  
rent. Accepto hoc mandato, habitaq; deliberatione, Luthe-  
ro commissum hoc negotium fuit à Theologis, ut summam  
Confessionis paucis capitibus ipse comprehendenderet. Conscri-  
pti ergo sunt Articuli, quos vocant, XVII. quibus summa  
Religionis nostrâ comprehensa fuit, quosq; secum ad Comi-  
tia abstulit Elector, & extant in Tomo 5. Jenensi. Hoc ergo  
scriptum Lutheri archetypus fuit Augustanæ Confessionis:  
quippe quam ad hujus normam Augustæ postea conscriptam  
esse, & verba eadem, phraseq; in plerisque Articulis retentæ,  
simil etiam ordo & séries Articulorum ferè similis, denique  
ipsa Electoris ad Lutherum Augustâ Coburgum data Epistola  
luculenter testantur, in quâ scripti isti Articuli XVII. Delinea-  
tio appellantur: ad cuius præscriptum Confessio ipsa tandem  
in Comitis expedita fuit. Et Elector gravissimus testis est, qui  
Articulorum scriptum Augustæ à Philippo revisum denuo, &  
in ordinem esse redactum sribit, & Exemplar Confessionis  
scriptæ illico Coburgum ad Lutherum misit, qui pro suo placito  
Confessio isti adderet vel adimeret, & pro suo spiritu (sicut  
tum Philippus ad ipsum scripsicerat) de toto scripto statueret.  
Qui remissam, uti conscripta erat, eximiè sibi eam placere re-  
spondit, ut censurâ alia omni planè sublimiorem.

VI. Post Spiritum sanctum igitur h̄c primas Ecclesiæ, se-  
condas Lutherò, tertias Philippo tribuimus: nempe Ecclesiæ  
inventionem: Lutherò dispositionem ac directionem; Phi-  
lippo Elocutionem.

VII. Ut autem nunquam concessit Ecclesia Lutherana,  
Philippum Augustanæ Confessionis Architectum fuisse: sic  
neque unquam probavit mutationem anno quadragesimo, pri-  
vato planè arbitrio, à Philippo institutam & peractam: neque  
mutatam illam pro verâ & authentica unquam agnovit, sed ut  
sputiam ac suspectam semper rejicit, & in Archetypi simplici-  
tate quievit, proindeq; nec mutationem hujus articuli pro-  
bavit.

VIII. Secundæ itaque classis hæretici dividunt in  
eos, qui in Defectu, & in cæteros, qui in Excessu peccant.

**IX.** Illi, in excessu peccantes, planè negant malum originis esse peccatum. Et horum rursus duo sunt genera: Quidam enim directè & expressis verbis negant vitium originis esse peccatum: Quidam verò oblique & per consequentiam idem inficiantur.

**X.** In primo genere sunt 1. *Huldericus Zwinglius*. 2. Plerique omnes *Anabaptista*: cum novis hæreticis *Photinianis*.

**XI.** *Zwinglius in Epist. ad Urban. Regium* malum originis verè ac propriè peccatum esse, disertè negat: qui postea quidem in *Colloquio Marpurgensi*, An. 1529. de errore isto admonitus, errorum illum correxisse visus est: ad ingenium nihilominus rediit, & in suā Confessione, quam in Comitiis Augustanis Anno 1530. ad Carolum V. scripsit, quæq; curante Joanne Jacobo Grynæo, anno 1590. Basileæ recusa est, eundem planè errorem erravit ac repetit articulo quarto p. 233. his ipsis verbis: *Velimus, nolimus, admittere cogimur, peccatum originale, ut est in filio Ade, non propriè peccatum esse. Non enim est facinus contra legem. Morbus est igitur propriè & conditio. Et rursus p. 235. Nati scelus non habent, sed pñnam & multam sceleris, pura conditionem, servitatem & ergastulum. Ita si scelus libet appellare, ideo quia pro scelere infliguntur, non verè, &c.*

**XII.** Pugnat error hic cum manifestis scripturæ dictis. Gen. 5, 3. *Adam genuit filium secundum suam (corruptam & peccatricem) imaginem, & similitudinem. Psalm. 51. v. 7. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Job. 3, 6. Quis potest dare mundum de immundo conceptum semine?* Joan. 3, 6. *Quidquid natum est de carne, caro est. Conferantur Rom. 3, 23. Item c. 5, v. 2. Ephes. 2, 3.*

**XIII.** Sic sex Anabaptistarum plororumq; pronunciat, Christum morte suā peccatum originale in universum exhumanā naturā sustulisse, ita ut in Novo Testamento infantes non concipientur, vel nascantur in peccatis, sed sint innocentes. Videatur *Colloquium Frankenthalense*. Verūm hi iisdem scripturæ dictis refelluntur.

**XIV.** *Photinianorum doctrina de peccato originis in Catechesi Latinâ, editâ Racoviz anno 1609. & Regi Magnæ Britanniae*

tannia Jacobo inscripti cap. 10. de Propheticō Christi munere  
sic proponitur p. 249 : Peccatum originis nullum prorsus est, nūc ē  
Scriptura id doceri potest. Et lapsus Adæ cum unus actus fuerit, vim  
eam, que depravare ipsam naturam Adami, multò minus verò posse-  
rorum ipsius posset, habere non potuit : Ipsi verò in pænam irrogatum  
fuisse nec scriptura docet. & Deum illum, qui omnis aequitatis fons est,  
incredibile prorsus est, id facere voluisse. Idem docet Ostorodus in  
Germanicā institutione, editā Racoviæ an. 1614. c. 33. p. 271. Et p.  
280. disertè ait: Concludimus igitur, prorsus non esse peccatum originis.

XV. Errori huic opponenda sunt luculentissima testimoni-  
a, antea allegata, Genes. 5, 3. Job. 14, 4. Ps. 51, 7. Jerem. 17, 9.  
Job. 3, 6. Rom. 5, 12. Ephes. 2, 3. In his & similibus dictis corrum-  
pendis magno quidem, sed prorsus vano occupantur studio isti  
veritatis hostes. Quia etiam mors superdium peccati est: &  
multi moriuntur, qui actualiter non peccarunt: sequitur illos  
propter peccatum originis morti subjectos esse.

XVI. In posteriori genere sunt primò, qui docent à paren-  
tibus sanctis liberos sanctos nasci: deinde scholastici Docto-  
res ac Monachi, qui omnes nimis tenuiter ac jejunè de peccato  
originis statuunt.

XVII. Primi generis sunt Calvinus, & qui hunc sequuntur.  
Calvinus in suis Institutionib. l. 4. c. 16. sect. 24. Isacum, ait, heredi-  
tariori jure, secundum promissionis formulam, jam à matris utero in  
fædere contineri. Et mox: Qui à Christianis originem ducunt infan-  
tes, ut in fæderis hereditatem statim ac nati sunt, à Deo excipiuntur:  
ita in Baptismum sunt recipiendi. Videatur etiam Calvinus in com-  
mentarij. in Gen. c. 3. ubi peccatum originis naturaliter propagari  
à parentibus in liberos expressè negat. Beza in 2. Respons. ad  
acta Colloq. Mompelgart. p. 103: Nec enim, in quibus piorum in-  
fantibus primus ad salutem aditus est baptinus, sed ipsa ex piis pa-  
rentibus progenitio. Et p. 120. Pares credentes liberi suis ius Chri-  
stianæ civitatis suā fide acquirunt.

XIX. Verum & hæc opinio contra manifestos scriptura tex-  
tus pugnat. Justus n. suā (non parentum) fide vivet, Habac. 2, 4.  
Rom. 1, 17. Et Abraham de fædere data quidē fuit promissio, sed  
non absolute, verā cū conditione mediocrū divinitus instituto.

ru. Sic n. ait Dominus Gen. 17,14. *incircumcisus masculus, qui non circumcidet carnem preputii sui, utiq; exterminabitur anima illa de populis suis.* Nam pactum meum irritum fecit. Et Apostolus ait: *Omnis sumus naturā* (id est, nascendo) *filii ire*, Eph. 2, 3. adeo ut nisi regnāmur ex aquā & spiritu, non ingredi possimus in regnum cœlorum, Joan. c.3. v.5. Quod respexit Tertullianus in suo Apologetico c.17: *Fiunt, inquit, non nascuntur Christiani.*

XIX. Sequuntur nunc Pontifici, Scholastici Doctores, & Monachi. Ubi variæ apparent dissensiones. Nam Responso Caroli Cæsaris & Catholicorum Romanensium in ipsis Comitiis data, licet articulum ipsum de peccato originali approbat, declarationem tamen planè rejectit, quod peccatum originalis sit *nasci sine metu DEI, sine fiduciâ erga Deum*: cum sit potius culpa actualis adulti, quam noxa infantis recens nati, qui usp rationis adhuc non pollet. In quā etiam sententia fuit *Joannes de Daventria.*

XX. Verūm *Joannes Cochleus*, infensissimus hostis Augstanæ Confessionis, in suo Examine sive Censurā in Aug. Conf contrarium tacitè docet ac fatetur, *infantes nondum baptisatos esse sine metu DEI & fiduciâ erga DEUM*, quando in hæc verba desinit: *Scimus infantes quoslibet nasci in peccato originali: nemo tamen justè imputat eis in vitium aut peccatum, quod sunt sine metu Dei, & sine fiduciâ erga Deum, quia per atatem nesciunt, qua sit distantia boni & mali, Deut. 1. aut quid sit inter dextram & sinistram. Jon. 4.* Aperteus adhuc loquitur *Joannes Hofmeisterus*, in Harmoniâ Fabricii sententiam suam exponens his verbis: *Articulus hic secundus non habet, unde à candidis Theologis vel rejici vel uti perari possit.* Et mox: *non inepte loquuntur adversarii, (protestantes) homines nasci cum peccato, hoc est, sine metu DEI, sine fiduciâ erga DEUM, & cum concupiscentiâ: id quod tamen Germanicè explicatiū dixerant.* Et rursus: *Igitur, quod bis adversarii (protestantes) dicunt de metu & fiduciâ, non de actuali, sed potius de aptitudinali affectu intelligimus.* Ne autem responsoni principum Papisticorum in faciem contradicere videatur, hanc addit correctionem: *Opinor, inquiens, nostros (Confessionis A. confutatores) hoc loco veritos fuisse impia Huldrici Zwinglii somnia, qui,*

qui, sicut jam olim conquerebatur Melanchthon nomen quidem peccati originis retinuit, rem autem sustulit. Ut cungđ verò sit, certum est ex divinis literis, hominem non renatum, sive ille parvulus sive adultus fuerit, non habere verum metum, nec veram fiduciam, nec veram fidem, nec posse verè concupiscentia resistere.

XXI. Hæc Hofmeisterus quibus licet refutet Papistas cæteros, illa tamen Georgius Cassander Thœologus Cæsareus, quem excellentibus encomiis ornarunt Imperatores, Ferdinandus & Maximilianus II. approbat, uti etiam Consensu, in colloquio Wormatiensi an. 1541. inter Pontificios & Evangelicos initum, quo unanimiter conclusum fuit, in renatis manere peccata, culpam verò ac pœnam remitti. Sic idem Cassander in suâ Consultatione art. 2. t otam doctrinam Augustanæ Confessionis de hoc articulo confirmat, aperte affirmans, eā Catholica doctrina conformem esse, cum doceat, quod omnes homines post lapsum cum peccatis ac mendaciis nascantur, & quod peccatum originis reverâ sit peccatum, propter quod omnes damnentur, qui non aquâ & spiritu regenerentur. Propter hanc veritatis assertionem, vir hic doctissimus & moderatus à Jesuitis male acceptus est, gravissimis calumniis ipsum insectantibus.

XXII. Sic Alphonsus Virgilius Philippicâ III. facetur, præter novitatem verborū nihil differre Augustan. Conf. de peccato originis à fide Catholici omnes refutant cæteros Pontificios Doctores. Ubi ergo gloriatio illa Thrasonica de perpetuo consensu Pontificiorum?

XXIII. Quomodo etiam Jesuitæ consentiant, & quâ constantia in hoc articulo versentur, ex subsequentibus erit manifestum. Bellar. lib. 4. c. 3. Et aliquot seq. de amiss. grat. Et statu peccati, prolixè disputat, peccatum originis esse peccatum verè ac proprie dictum, ejusq; pœnam agnoscit morte & damnationem æternam.

XXIV. Quæ et si speciosa videntur, non tamen existimare possumus, rem seriò agi, sed potius glaucoma simplicioribus obijci. Hoc I. ex lib. 5. Bellarm. de stat. peccat. c. 17. colligere cst: Ubi dicit, peccatum Adami in nobis originale dictum, nobis communicari per generationem eo modo, quo communicari potest, id quod transit, nimurum per imputationem. Omnibus enim imputatur, qui ex Adamo nascuntur. II. Ibidem, videtur, inquit, privatio doni illius esse potius

*pena quācum culpa.* III. Lib. i. de amiss. grat. & stat. peccat. c. i. contendit, nūbil esse propriè contra legem, nisi sit voluntarium: neque lex propriè detur, nisi iis, qui habent usum liberī arbitrii. Ergo concludimus, quia infantes, qui in mundum nascuntur, non habent usum liberī arbitrii, illos lege obligari non posse, proindeq; peccatum propriè dictum non habere. IV. Ibidem c. 2. dicit Bellarminus: *Originalia sunt, quæ trahuntur à primo parente Adamo per carnalem propagationem, quaq; voluntaria sunt aliena, non propriæ voluntate.* Unde colligimus, quod peccatum originis non sit propriè peccatum; quia non est propriè voluntarium: Quod vero ut necessarium in omni peccato requirit Bellarminus lib. i. de stat. pecc. c. ii. arg. 5. Non autem esse potest propriè voluntarium, cum tamen voluntarium Bellarmino dicatur respectu parentum, & non respectu illius, cui peccatum subjectivè tribuitur & inesse dicitur. V. Ibidem scribit Bellarminus: *Peccatum non dici univocè de mortali & veniali, sed per analogiam quandam:* & peccatum veniale non esse perfectè peccatum sicut mortale, sed imperfectè: ac proinde non deberi ei penam mortis aeternæ. Jam vero quidam Pontificii vocant peccatum originis minus peccato minimo veniali; Thomas in 2. disf. 23. q. 1. a. 2. Quid ergo concludendum inde aliud, quācum peccatum originis multò minus dicendum esse perfectè & exquisitè peccatum? VI. Lib. 5. de grat. & liber. arbitr. c. 20. resp. 1. Sic Calvinus respondet Bellarminus: *Prima illa Calvini de malitia hereditariâ responsio, parùm cum juvat.* Nam malitiam illam nos penam docemus esse, non culpam, nisi liberâ voluntate ei obdormimus: *Calvinus autem qui culpam esse contendit id probare, non assumere debuisset.* Et lib. 4. de amiss. grat. & stat. peccati c. 10. obj. 8. in infantibus non actum peccati, sed reatum & maculatum esse dicimus.

XXV. Inī Robardus Tapperus Decanus Lovaniensis in artie. de peccat. orig. ex Capreolo affirmat, peccatum originis non nisi equivocè peccatum dici, simulq; insiciatur illud esse aliquius legis transgressionem.

XXVI. Albertus Pighius controversa de peccat. orig. & Ambros. Cathæ-

Catharinus libr. de lyps. hom. Et peccat. orig. cap. 6. ambo Pontificii, describunt peccatum originis, quod sit inobedientia primi hominis: quos hoc nomine reprehendit Bellarminus, & addit ex sententiâ hac ab iisdem auctoribus tres alias deduci. 1. Peccatum originis esse unum & idem in omnibus hominibus. 2. Hoc unum peccatum in primo homine re ipsâ fuisse, in ceteris per imputationem. 3. Nihil esse in parvulis reipublicâ inhærens, quod habeat verum peccati rationem. Nam privationem Justitiae, maculam, reatum, & similia, pœne, non culpa rationem habere, nisi fortè impropietate. Has sententias et si ex Tridentino concilio potissimum refutat Bellarminus: certum tamen est, concilium istud non damnasse Pighii aut Catharini de peccato originis opiniones, adeoque non definitivisse, quid sit peccatum illud, & in quo ejus essentia consistat. Hinc etiam Robardus Tappius non concedit Pighii & Catharini sententiam simpliciter erroneam esse.

XXVII. Oblique etiam Pelagianismo fomenta præbent, & peccatum originale extenuant Pontificii & Scholastici, dum assertunt, peccatum originis nihil esse aliud, quam doni cuiusdam supernaturalis carentiam, ipsam interim naturam hominis integrum, puram, & incorruptam manifeste, proindeq; posse hominem ex partis naturalibus Deum diligere super omnia, Gabriel Biel in 3. sent. dist. 27. posse omnia præcepta virtutum Theologicarum, quantum ad substantiam operum, per sua naturalia adimplere, Robardus Tapp. de lib. arbitr. p. 291. Philosophos sine verbo Dei, & sine spiritu regenerationis solo naturalium notitiarum & virium ductu ad veram justitiam, quam salvati sint, pervenisse, Andrad. lib. 3. & 4. Quod vero si ita est, quomodo peccatum originis defendetur, quod est profundissima natura humanæ depravatio? Quandoquidem naturæ integritas, & extrema ejusdem pravitas, sunt oppositæ quarum una asserta, tollitur altera.

XXVIII. Deinde fomenta Pelagianismo oblique præbent Pontificii, dum liberè de τῷ ἀνώνυμῳ peccati hujus disputant, ac disputandum relinquunt, ac si res quæstionis esset, non fidei. In qua sententia est Concilium Tridentinum, in quo cum definitu sit,

peccat. orig. verè esse peccatum, unicuiq; proptium, deinde unde illud sit; tandem qui sint ejus in nobis effectus; propriam ejus rationem silentio involutam, & quid illud sit, consulto præteritum fuisse, scriptores pontificii afferunt, ut opinandi libertatem relictam esse in hac parte, omnes intelligerent. Sic n. Andradius, cui Concilii secretiora complura nota fuere & perspecta lib. 3. def. concil. *Concilium Tridentinum*, inquit, *propriam peccati originis rationem consultò involvit, & ita opinandi libertatem unicuiq; reliquit.* Cūm vero liberam omnibus de capite hoc sentiendi, quod liberet, licentiam Patres Tridentini Concilii reliquerint, solam eam sententiā, quam nostra Confes. ex S. Scripturā est professa, diris anathematum perstrinxerunt, ut quo spiritu congregati essent, saltem hoc documento testatum facerent. *Videatur Chemnitius part. 1. Exam. num. 159.*

XXIX. Tertiō idem p̄stant Pontificii i. dum concupiscentiam in renatis reliquam peccatum esse negant. *Bellarmin. l. 4. de amiss. grat. & stat. peccat. c. 5. & seqq. Concilium Tridentinum. sess. 5.* Illa enim est peccatum originis, ut ex Apostolo docet Augustinus: Ergo omnino in renatis peccatum originis verè esse peccatum negant Pontificii: i.e. dum statuunt per baptismum tolli peccatum, ut nihil amplius sit in renatis, quod habeat veram peccati rationem. Quod si ita est, quomodo renati propagabunt in posteros originale peccatum? Quomodo item verum erit illud Augustini lib. i. de concup. & nuptiis: *peccatum in baptismo remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur.* Quod postea Scholastici ita explicarunt, tolli peccatum, quoad reatum, quod formale appellarunt, h. e. tolli peccatum quoad culpam & iram D E I: manere autem ipsum quoad corruptionem, in naturam introductam, quod materiale dixerunt, nos vero concupiscentiam peccandi. Qualis vero & hic consensus Scholasticorum cum cæteris Pontificiis?

XXX. Quomodo etiam peccatum propagari defendant Pontificii: quando anima una cum corpore ex parentib. propagari negant, & contra strenuò defendunt, hominib. singulis animas singulas non ex propagine, sed ex nihilo tunc primum creari atq; infun-

infundi, cum in uteris matrum fœtus concepti atque ad animationem præparati sint: Bellarminus l. 4. de amiss. grat. & stat. peccat. cap. ii. sent. 6. Aut ergo Deum peccati auctorem blasphemè criminentur, aut propagationem negent, necesse est. Atque hæc est causa, quod scribat Augustinus lib. io. de Genes. cap. 23. opinionem, qua afferit propaginem animarum, nisi fortioribus argumentis, quam sententias ceteras.

XXXI. Denique docent Jesuitæ unanimiter omnes, Mariam Virginem matrem Dei non esse in peccatis conceptam & natam. Sic Bellarm. l. 4. de amiss. gratia cap. 15. 16. Item lib. 2. de Monachis cap. 39. afferit, singulari Dei privilegio, beatam Virginem Mariam ab omni omnino peccato immunem esse. Et Gregor. de Valentia lib. de peccat. Orig. cap. 3. negat eam peccatum originis incuruisse, p. 127. Videatur etiam Concilium Basiliense, Sess. 36. & Tridentin. sess. 5. Qui error ex superstitione Monachorum & carnalibus cogitationibus ortus est, ac si derogaret sanctitati Christi, si etiam mater ejus peccatrix statueretur, & Deus non potuisset vel scivisset efficere, ut ex peccatrice sine peccato Christus conciperetur & nasceretur: cum interim omnisiens Deus medio hoc ad id usus est, ut Filius ejus non viâ ordinariâ, sed sine virili semine supernaturaliter per obumbrationem Spiritus sancti in utero Mariae virginis conciperetur, & sic ab omnibus peccatoribus segregaretur: uti etiam hoc non diffidetur, Gregor. de Valent. lib. 2. cap. citat. statim in initio.

XXXII. Ut autem error errorem trudit, sic ex illo alter derivatus est, nempe docuerunt Pontificii, Mariam, ut sanctissimam virginem, & ab omni peccato immunem adorandam, cultuque divino honorandam esse: persuaserunt etiam plebi, ipsam esse matrem misericordiæ: qui querere vellet gratiam, ipsi non ad Christum confugiendum esse (quippe qui longe adhuc sanctior & severissimus judex esset) sed apud Mariam, auxilium quærendum, ipsam tanquam veram medicinam, implorandam, ut pro nobis apud filium intercederet, nosque ipsi conciliaret.

**XXXIII.** Atque ut objectioni ejusmodi (Mariam viā ordinariā, proindequē in peccatis conceptam & natam esse) respondere possent, negavit Sanctorum Legenda antecedens, narrans, Mariam non ex congressu connubiali, sed ex osculo Joachimi, quod conjugi Annæ fixerat, conceptam esse. Quæ nugæ indignæ sunt ullâ responsione, cum Scriptura Sacra Mariæ parentes & nativitatem ordinario modo describat, quod sit ex semine David.

**XXXIV.** Quia vero & hoc Pontificiis objici potuit: peccatricem fuisse Mariam, cum morti subjecta fuerit, & mors stipendum peccati sit: utique sine pudore & fundamento ullo assertuerunt, & universæ Ecclesie persuadere non erubuerunt, Mariam non esse mortuam, sed vivam in cœlum suscepitam; utquæ insulsum hoc figmentum confirmarent, & omnibus inculcarent, festum ascensionis Mariæ sanciverunt.

**XXXV.** Tertiō si illis objiciatur, negari non posse, quod Christus quoque pro Mariâ passus & mortuus, & sic ipsa per Christum redempta sit: concedit id Gregorius de Valentia lib. de peccat. Orig. cap. 3 pag. 130. b. sed consequentiam negat, ipsam propterea peccatricem censendam esse; negationemquæ sic explicat & confirmat: Facilius intelligitur, quomodo B. virgo fuerit per Christum redempta, hoc ipso, quod divinitus propter Christi merita præservata fuit ab illo defectu, quem ob prævaricationem legis ad illam etiam pertinentis justè incurrere potuisset, sicut alii Ade posseri.

**XXXVI.** Verum nugæ sunt, sine ratione & Scripturâ esfutitæ. Probetur Christum passum esse pro aliquo vel aliquibus, ut præservarentur à peccatis. Pro peccatoribus mortuus est, peccatores & non alios redemit, ut universa Scriptura clamat. Deinde nullum quoque ex posteritate Adami excipit, præter unicum Christum, cæteros omnes, viâ ordinariâ natos, peccatores pronunciat, & omnia sub peccatum concludit, Galat. 3, 22. omnequæ discrimen tollens, afferit, omnes peccasse, ac defici gloriâ Dei, Rom. 3, 23. Et in specie beatam prædicat Mariam

riam propterea quod crediderit, *Luc. i. v. 45*. Hinc etiam Spiritus ipius exultat super Deo Servatore suo, *ibid. v. 47*.

XXXVII. Certum itaque est, Scripturam de nullo sci-  
re homine, qui singulari hoc Privilegio gaudeat, ut sine pec-  
catis natus sit, unico Christo excepto, de quo testatur, *Hebr. 7.  
v. 26*: ipsum segregatum esse a peccatoribus. Si Maria quoque  
illo privilegio includeretur, haut dubie a Spiritu sancto tan-  
quam miraculum, a seculis inauditum, annotatum fuisset. Si  
enim Spiritus sanctus indicare voluerit, quod Adamus genu-  
rit filium ad imaginem suam, eoque totam posteritatem de-  
scribere; quidni etiam hoc unicum extraordinarium signi-  
ficasset, quod maximè miraculosum, uti ejus conceptio & na-  
tivitas.

XXXVIII. Ad summam: a generalibus regulis, *Joh. 3.  
v. 6*: quod genitum est ex carne, caro est, *Rom. 3, 22*. non est distin-  
ctio: omnes enim peccarunt, & deficiuntur gloria Dei, cap. 5. v. 14. Regnavit mors ab Adam usque ad Mosen, in eos quoque, qui non  
peccarunt ad similitudinem transgressionis Adam. A generalibus  
illis regulis, inquit, non excipitur Maria. Quandoquidem  
ex illis apodictice concludit Augustinus lib. de fide ad Petrum  
cap. 23. Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnem hominem,  
qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali  
nasci, impietari subditum mortis, subiectum, & ob hoc natura filium  
ire nasci. Et lib. de nuptiis & concupiscentia: Ideo Christus non  
de concubitu nasci voluit, ut hinc etiam doceret, omnes, qui de concu-  
bitu nascuntur, carnem esse peccati. Et lib. 5. contra Julianum  
cap. 9. Marie corpus ex concupiscentia originali venisse ait, sed non  
trajecisse eam in corpus Christi. Licet alii, cum de peccatis agi-  
tur, de Maria propter honorem Dei nullam prorsus habere ve-  
lit questionem. *Tom. 7. lib. de natur. & grat. cap. 36*.

XXXIX. Jus quoque *Canonicum* consentit de Consecrat.  
dist. 3, cap. pronunciandum, super verbo Nativitas: *De festo  
conceptionis nihil dicitur, quia celebrandum non est*. Et hec est ratio,  
quia in peccatis concepta fuit, sicut & ceteri sancti, excepto Unica  
persona Christi.

**XL.** Pap<sup>i</sup> Sixtus anno 1483 liberam reliquit facultatem in utramque partem opinandi de hoc, Mariam esse sine peccatis vel cum peccatis conceptam: Sed Tridentinum Concilium se supra Sextum elevavit, *Sess. Canon. ult.*

**XLI.** Bellarminus lib. 4 de amiss. grat. & stat. peccat. cap. 15. dicit, non haberi apud Catholicos pro re certā & explorata ac fide Catholicā tenendā, B. virginem sine peccato fuisse conceptam.

**XLII.** Qui sit autem Bellarmine, quod res hæc incerta sit apud Catholicos? cum aliis unanimi ore clametis: Traditiones esse certas, esse regulam infallibilem: Ecclesiam errare non posse. Jam verò & hæc traditio aliqua est: Mariam sine peccatis conceptam esse: & quidem ejusmodi traditio, quam Concilium Tridentinum unā cum Pap<sup>i</sup> approbat ac confirmavit: quæ ergo causa incertitudinis? Sanè vera causa hæc est, quod omnes traditiones sint incertæ, per se nihil probent, sed solum verbum Dei hanc in se habeat efficacem certitudinem, ut docere, hominesquæ cū g̃ñ w̃t̃ 85 facere queat, Tit. 1. Quia ergo Bellarmine, hic verbum est nullum: unde igitur certitudo?

**XLIII.** Verum nudum illum esse prætextum, & glaucoma, quod Jesuitæ cum Lutheranis disputantes objiciunt, patet partim ex ipso Bellarmino; quando statim in subsequentibus addit; Opinionem tamen illam Catholicorum non esse erroneam, sed piam admodum ac probabilem: partim ex Andratio in defens. Trid. lib. 5. mihi p 489. Sed quoniam Tridentini patres non quid esset in hac questione certum atque exploratum, cum Xisto Roman. Pontif. pronunciārunt, ad ea tantum respondeo, quæ ex sacris literis veteris, patrum sententiis à Kemnitio afferuntur. Nam si cum iis tantummodo ac Catholicis viris mibi esset res, qui Romane sedis prerogativas pro dignitate suscipiunt, satis profectò Xisti Pontificis Tridentiniq; Concilii esset auctoritas, ut virginem Deiparam generalibus illis Pauli, sanctorumq;, Patrum sententiis nequaquam contineri sibi persuaderent, &c. Et Gregorius de Valentia lib. de pecc. Orig. cap. 2. p. m. 130. A. Ex quibus, inquit, inferitur, nunquam esse futurum,

rum, ut Ecclesia aliquando determinet aliquem descendenter ab Adamo preter beatam virginem habere privilegium, quo a peccato originali sit preservatus: neque etiam ut declareret incertum esse, quod ad fidem attinet, num aliquis preter B. virginem id privilegium haberet. Patet hoc, quoniam Ecclesia jam certo determinavit, omnes illos, excepta B. virgine, id peccatum incurvare. Itaq; non potest unquam contrarium definire.

X L I V. Ultimò cui incognita est concertatio de hac re inter Monachos ordinis Prædicatorum & Minorum sive Franciscanorum circa annum Christi 1370, ut hinc rursus falsa arguatur Pontificiorum gloriatio de perpetuo inter suos consensu.

X L V. Remotis igitur Pelagianorum & ~~πελαγιανούς~~ in defectu circa naturam peccati Originis aberrantium opinionibus, restat, ut in excessu peccantes Manichæos videamus, eosquæ veteres & recentiores.

X L VI. Veteres fingeant, malum esse formaliter natum quandam positivam & substantiam, statuebantque sumum quoddam malum, quod reliquorum malorum sit causa. Crassissimum hunc errorem graviter refutavit Augustinus, docens ac demonstrans, malum non esse substantiam, sed qualitatem naturæ, & quidem accidentiarum.

X L VII. Recentiores, nempe Flaciani, superiore seculo in Ecclesiam invexerunt errorem rusticum plane & flaccidum, delirantes, peccatum esse ipsum hominis substantiam. Quod dogma, utpote omnes articulos Symboli Apostolici evertens, Ecclesia statim in ortu suo damnavit, & cum auctore suo è rebus humanis eliminatum, remotissimum haec tenus à cœtu fidelium esse voluit.

X L VIII. Putidissima ergo calumnia est Bellarmini, Lutherum, & omnes qui ipsum sequuntur, γνωστοὶ & Lutheranos, Flacianismi reos peragere non dubitantis, lib. 5. de stat. pecc. & amiss. cap. 1. & seqq. Nam licet Lutherus super Genes. cap. 3. statuat, peccatum esse de essentiâ hominis: & in Psal. 50. dicat, fœtum in utero materno peccatum esse: non tamen inde sta-

tim colligi potest, Lutherum more Flacianorum peccatum substantiam statuere. Quandoquidem esse essentiale sive de essentiâ hominis esse, Lutherò citato loco Genes. &c. alibi idem est, quod naturale sive connaturale & inseparabile: nempe ut significet hominis naturam post lapsum primorum parentum, ita comparatam esse, ut non possit naturaliter vel corrupti, vel generari, vel esse, quin peccato originalis inquinata, juxta varia Scripturæ dicta: Naturâ sumus filii ira, Ephes. 2. v. 3. Quis potest, dare mundum de immundo? ne unum quidem, Job. 14. 4. &c. Satis enim se explicat Lutherus in sermone de tripli justitia his verbis: Ideo dixi essentiale, quia per nativitatem contrahimus & maner semper, neque aliquando transit, sicut actuale, sicut AQUA SALIS NATURALITER salsa est.

XLIX. Non ergo Lutherus hominis essentiale sive de naturâ hominis peccatum dicit propterea, quia statuat, id essentiam hominis constituere; sed quia à nullo negari possit, essentiam hominis id per naturalem nativitatem contrahere; distinguit ergo inter ipsam essentiam hominis, & id, quod illa per naturalem generationem connatum est, & peccatum definit. Deinde in respectu ad actuale, id essentiale vocat: quandoquidem non fluit ex arbitrio nostro, neque aedesse & abesse potest, stante subjecto sive humanâ naturâ in hac vita: sed ex ipsis naturalibus principiis fluit, tanquam essentiale consequens; quod essentiale constitutionem naturaliter & necessariò sequitur in hominibus naturaliter in mundum natis. Tertiò dicit essentiale sive de essentiâ hominis peccatum non aliter, atque aquæ salis salsa vel essentialis vel naturalis dici potest. Quilibet vero intelligit, quod salsa non sit ipsum formale principium, constitutens aquam; sed sit aliquid essentiae illius aquæ naturaliter adhærens, eamque accidentaliter informans; proindequæ licet non dici possit salsa essentialis sive de essentiâ aquæ, est tamen de essentiâ aquæ salsa: quia aquam accidentaliter informat, ut sit salsa.

L. Fœtus

L. Fœtum autem in utero, imò ipsum hominem peccatum dicit Lutherus emphaticā & figuratā, non propria phrasī & modo loquendi, haut secus ac Pauli illud ἐξοχὴν habet & εὐ-  
Qæst. i. Cor. 6. v. 11. καὶ ταῦτα πεις οὐτε; atque hæc (sc. scelera) eratis quidam. Et satis se explicat ipse Lutherus in cap. 5. ad Galatas: Quanquam, inquit, ha sententia (fecit Christum maledictum & peccatum) recte exponi possunt hoc modo: Christus factus est maledictum, id est, hostia pro maledicto, peccatum, id est, hostia pro peccato, &c. Tamen magis placet, si servetur propria significatio votum; propter majorem emphasis. Quia cum peccator revera venit in notitiam sui; non solum sentit, se peccatorem concretivè seu adjectivè, sed etiam abstractivè seu substantivè, hoc est, non solum videtur simili calamitosus, sed ipsa calamitas: non solum peccator & maledictus; sed ipsum peccatum & maledictum, ut in Latinâ lingua, cum excellenter volimus aliquem significare scelsum, vocamus ipsum scelus.

LI. Ergo in ejusmodi locutionibus utitur Lutherus καὶ ἐξοχὴ abstracto pro concreto. Quippe qui alias palam fateatur peccatum malum separabile: quod Deus tandem suâ creationis potentia separabit ab Electis suis. Sic enim Lutherus cap. 38. Genes. mihi pag. 522. a. Respondeo; inquit, Christum verè natum esse ex verâ & naturali carne & sanguine humano, qui corruptus fuit; originali peccato in Adam; sed sic ut possit sanari: scut nos concedimus & speramus; qui sumus circumdati carne peccati, futurum, ut in die redēptionis nostræ ea purgetur, & separetur ab omnibus infirmitatibus, morte & ignominia: sunt enim Peccatum & Mors malas separabilia, De Peccato Originis hactenus.

F I N I S.



missusque monachorum in reliquo orbe circiter quinque l.  
et illisq; diebus non sicut ad hanc eundem p. I. m  
- 1. 23. sed ut vero in bullis istis sunt expressi. in monasterio  
(velo) dicitur. quod sicut in aliis. etiam in hoc. etiam in  
- 1. 23. sed ut vero in bullis istis sunt expressi. in monasterio  
(velo) dicitur. quod sicut in aliis. etiam in hoc.

AT 30


99 A 6900



SLB

Retro

VDT77





DISPUTATIO QUARTA  
In Augustanam Confessionem  
continens  
ΑΝΤΙΘΕΣΙΝ ΑΡΤΙCULI II.  
**P E C C A T O**  
*De*  
**ORIGINIS,**  
*Proposita*  
In almâ VVittebergenium Academiâ,  
P R A E S I D E  
**JACOBO MARTINISS. Th.**  
Doctore & Professore Publ.

RESPONDENTE  
**M. CHRISTOPHORO BULÆQ**  
Kötzschenbrodâ-Misnico.

Habebitur in Auditorio Collegii veteris  
ad diem 31. Augus*ti*.

WITTEBERGÆ

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,  
ANNO M DC XXVIII.